CAJETANI CONFALONE

NEAPOLITANI THEOLOGICI COLLEGII

PRO EXCELLENTISSIMO

ABELLINATUM PRINCIPE

CANCELLARII

ADVENTORIA

LECTORI THEOLOGO.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

Digitized by Google

INter omnes homines quos ſapientiae amor tenuit ii de litteris omnium optime meriti jure hactenus ſunt viſi, qui non ſolum ad eas incumbere ac iis veluti innutriri ſtuduerunt, ſed ad eas alendas confovendaſque etiam ſymbolam quiſque ſuam contulerunt. In qua re & illud omnibus exploratum eſt nullum mortalium majori ſub foenore operam collocaſſe ſuam, quam eum qui quum virtuti litet, eamque promovere pergat, redhoſtimenti loco gloriam ab ea perpetuam mutuetur, & nomen in aevum non periturum. Monumentum ſiquidem aere perennius exegerunt quicumque veterum Gymnaſia, Academias, Bibliothecas ceteraſque ejuſmodi muſarum domos exſtruxere, quibus majorem ſibi an muſis ipſis nominis celebritatem pepererint non immerito quis ambigat. Dum enim Pythagoras Italicam, Thales Jonicam, Zeno Eleaticam ſcholam aperiunt, Plato Academiam, Ariſtoteles Lyceum inſtituunt, dubios fecere poſteros, ſapientiae, an ſibi ipſis magis conſuluerint. Et rem penitius intuenti patebit ſane e domitis triumphatiſque gentibus inter armorum ſtrepitus, & rebellium caedem imperatores bello claros gloriae famam retuliſſe, ut vix parem, ita

certe non majorem ea, quam litterarum duces inter omnibus amicae pacis ocia, & ſine ullius querela adepti ſunt. Profecto e Graecis pariter atque Romanis ſagatorum aeque ac togatorum virorum illuſtria aſſurgunt nomina, quae ut ad noſtram pervenerunt, ſic futuram ferent aetatem.

Praeclare igitur poſteritati ſe commendatum it Marinus Franciſcus Caracciolus ſeptimus Abellinatum Princeps, qui dum ſtudia theologica promovere, & ad meritam dignitatem evehere conatur, palam facit genti ſuae undecumque luculentiſſimae, & cui nullam novae gloriae acceſſionem fieri poſſe omnibus perſuaſum erat, eximio hoc ornamento maximam novi luminis accretionem adventuram. Imo ſi optimi heredis munus eſt acceptam a majoribus opulentam hereditatem non modo non delibatam, ſed auctiorem ad poſteros tranſmittere, nemo procul dubio potiori jure id ſibi tribuere poterit. Potiſſima quippe quae nos manet cura, & e qua ſumma ad virtutem incitamenta nobis innaſci philoſophorum ſapientiſſimi tradiderunt, eſt majorum noſtrorum recordatio, quae ut nos voluptate perfundit, & a ceteris ſegregat, ita tacitos perpetuoſque injicit ſtimulos, quibus ne non ab iis profecti videamur identidem admonemur. Quae quum ita ſint, ut nemo inter majorum gentium patricios, quos noſtra Civitas habet ampliſſimos, abditiori clarioriquegeneris vetuſtate ſuperbit, ita vix reperietur, qui ex tam auguſto ſanguine ſe prognatum facilius, certiuſque probet.

Nam quod ad ipſam Caracciolorum originem ſpectat, qui de Neapolitanis familiis ſcripſerunt, eos noſtrae Urbis indigenas fuiſſe volunt. Quod quanti ſit iis tantummodo latere poterit, qui domeſticorum bonorum parci ingratique aeſtimatores, atque vanis, & ut plurimum falſis peregrinarum originum nominibus abrepti aliena magis quam propria bona conſectari amarunt. Hi immanem faciunt injuriam immeritae patriae ab ipſis heroi-

cis

cis temporibus naturae cultuſque innumeris deliciis celeberrimae, & cujus natales cum cujuslibet urbis ortu antiquitate, & claritudine certare ipſi exteri, vel inviti fatentur. Praeter enim communem noſtrorum opinionem, eam a Rhodiis aut Cumanis conditam fuiſſe, firmiſſimis nititur argumentis ſententia Petri Laſena nobiliſſimi rerum noſtrarum archaeologi, qui illam a Phalero Argonautarum uno ac proinde ante Trojanum excidium aedificatam probat, ut quam Lycophron φαληρȣ̃ τύρσιν nominat, alia prorſus non ſit quam noſtra Neapolis. Scriptorum vero antiquiſſimus Homerus eam ſuis intermiſcere fabulis non dubitavit, & Parthenopem Sirenum unam effinxit. Ejus habitatores αὐτονόμοι ad Svevos uſque Reges permanſere. Et ſatis a Romanis Scriptoribus eorum fides commendata eſt, quum difficillimis temporibus pro Romanis quam pro Poenorum partibus ſtare maluerunt. Sed ab ipſis Romanis jam rerum dominis noſtra Civitas non niſi foederatarum numero habita eſt, & Tiberius Nero Caeſar Inarimem inſulam pro Capreis aequo jure cum Neapolitanis permutavit. Eorum magnificentiam, & artium cultiſſimarum celebritatem arguunt tum Nero in Neapolitano theatro muſicos agens ludos, tum tot adoleſcentes ad ingenuorum ſtudiorum inſtitutionem huc Roma miſſi. Inter tot tantoſque barbarorum truculentiſſimos incurſus, dum ceterae nationes igne ferroque vaſtarentur, noſtra immunis a tot ſtragibus vixit. Ex quo maximum illud derivat argumentum praecipuos Romanorum Civium urente ea calamitate, totque ſeptentrionalibus gentibus eorum Urbem exſcindentibus, in noſtram Neapolim ſibi animi relaxationibus frequentatam opportuno brevique maris tractu ſedem ac veluti portum quaeſiviſſe. Id exploratum faciunt tot nobilium familiarum jam extinctarum nomina quae in noſtris annalibus memorantur, quaeque tam Romana apparent ut barbara nullo pacto eſſe poſſint. Hi ſunt e phratria Capuana *Abalae*, *Aquilii*, *Virginii*, *Proculi*, *Ruſi*

nunc

nunc rebus omnibus florentiſſimi: ex Nilenſi *Papirii*, *Pulvilli*, *Sulpicii*: ex Montana *Anci*, *Bruti*, *Caecinae*, *Genutii*, *Mumiae*, *Julii*: ex Portuenſi *Atratrini*, *Albini*, *Capellae*, *Cicurini*, *Bruti*, *Furii*, *Genutii* aliique apud Mazzellam in deſcriptione Regni Neapolitani. Dum Gothis maxima Italiae pars pareret, noſtra Civitas graeca ſub graeco imperio ſic fuit, ut tamen per duces ſe ipſam regeret. Sciſſo mox ſub Langobardis in tot deſpotas italico Imperio, & circumſtantibus tribus principibus Salernitano, Beneventano, Campanoque, libera tamen ab omnibus egit. Nec tot Saracenorum funeſtiſſimi incurſus quamplurimis interni maris urbibus fatales eam opprimere potuerunt. Donec conſtituto in hac Italiae parte ab Andegavenſibus pulcherrimo Regno, cujus fundamenta jecerant Northmanni, Svevique, Neapolim Carolus I. eumque ſecuti Reges (in ea regnorum modeſtia nulli ſecundi) regni ſedem ampliſſimam habuerunt. Sed & invecta ſive Langobardici ſive Francici juris beneficia, quae feuda appellantur, mox ab Aragoniis Regibus innumeris in ſubditos imperiis aucta, quorum ſucceſſiones publicis tabulis conſignantur, certiorem Neapolitanis familiis nobilitatem creant, quam fumoſae in Romanorum atriis diſpoſitae imagines. Nec Caracciolos itaque nec alium quemvis poenituerit originem arceſſere ab Urbe ex Graecis pariter ac Romanis nata, quae ſive juris ſive ſub alterius ditione illuſtribus omnium ſaeculorum teſtimoniis nemini cedit.

Sed nec deſunt argumenta quibus aliquis non invitus animum inducat Caracciolorum ſtirpem peregre advocandam. Ammiratus certe *part.* 1. *pag.* 108. de Caracciolis Rubris addubitans ſcribit *da' nomi ſi vede, ch' eſſendo eglino nati in Città ſuddita all' Imperio Greco doveano eſſere di ſchiatta Italiana, o almen Greci, e non Longobardi*. Teſtimonia vero quae illuſtriſſimae hujus domus ſchedae ſuppeditant non aliud ſuadent, quam eam ab Antiochenis Principibus ortam. Quae res ut ſe

ha-

habeat, & cui fulcro innitatur ut omnes cognoſcant, operae pretium fuerit publici juris facere monumentum quod in ſcriniis Principis Abellinatum adſervatur, quodque ſic habet.

„ Cyrillus Dei gratia Conſtantinopolis novae Romae „ Archiepiſcopus, & Oecumenicus Patriarcha.

„ Chriſti fidelibus tam Laicis quam a Deo Sacratis „ ad quos hae noſtrae pervenerint fidem certam faci„ mus, in monte Atho, qui mons ſanctus vulgo dicitur „ inter cetera magnifica ac regia monaſteria a regibus „ & principibus olim viris nec non piiſſimis Imperatori„ bus condita uſque in hodiernum diem eſſe, & repe„ riri etiam ibidem monaſterium Caracciolorum voca„ tum, olim a Beſta Carakolo regni Antiocheni Principe „ conſtructum & regia viri illius munificentia multis „ bonis & reditibus auctum, quod etiam conſtare nobis „ affirmamus ex publicis ſcripturis quae in patriarchali „ eccleſia conſervantur. Unde & vir illuſtriſſimus do„ minus Ligorius Caraciolus Regni Neapolitani Regulus „ in Graeciam veniens, & locum hunc inviſens & utpo„ te a gentili ſuo conditum agnovit, & piiſſimis dona„ riis locupletavit, quae omnia ex ſcripturis a ſanctiſ„ ſimo praedeceſſore noſtro Theophilo per manus ad nos „ traſmiſſis ſatis conſtant, ex quibus etiam patet eidem „ domino Ligorio & poſteris ejuſdem per maſculinam ſe„ riem legitime deſcendentibus conceſſum tunc fuiſſe „ monaſterii illius jus patronatus. In cujus rei fidem & „ teſtimonium &c.

Beſta itaque, qui alibi Ambuſtus, alibi Bauto ſcribitur, Caracciolus Princeps Antiochenus monaſterium in monte Atho exſtruxit de ſuo nomine appellatum, cui annuam dotem dixit. Mox Ligorius Caracciolus graeciam peragrans monaſterium a gentili ſuo aedificatum agnovit noviſque auxit donis, atque in eo ſibi poſteriſque ſuis jus patronatus a Theophilo CPno Archiepiſcopo adquiſivit. Conſtat autem in eo monte quammul-

multas extitiſſe & adhuc extare κοινοβιούντων aedes, indeque factum, ut ſacri & ſancti epitheton ei adhaeſerit. Bunonius ad ea Cluerii *in Macedonia Athos, quem Xerſes perfoſſum velificavit* inter alia haec adnotat *Athon illum hodie ſacrum montem nominari ſunt qui ſcribunt, quod totus habitetur VI. millibus monachorum Chriſtianorum, quos tenere ajunt monaſteria* XXIV. *contra piratas bene munita & clauſa. Celebriora ſunt Gatopedos, & Agios laura: ibidemque etiam conſpici Zonarae monumentum, inſtructiſſimas quoque manuſcriptorum codicum in coenobiis illis eſſe bibliothecas*. De eadem re ex recentioribus monumentis fuſiora haec dat Joh. Reiſchius de montibus Graeciae ad eumdem Cluerium IV. 10. *Athos Cherſoneſum aut peninſulam refert ſinu Strimone & Cingo altero interceptam, ut iſthmus ne quadrantem milliaris latitudine ſua excedat. Graecis* ἅγιον ὄρος, *latinis etiam mons ſanctus ob coenobia* XXI., *numeroſa & ampla graecorum monachorum domicilia, ſed aliquot male munita. Ex omnibus coenobium S. Mauri* 600. *etiam alumnorum patiens capaxque praeſtat, cetera non ſunt tanti pretii, & quandoque triginta hominum altrices. De duobus, Eremitarum ordine juncto, cohabitantium vicis quaſi Hagia Ena, & Keraphia, de regula Sabae quam ſequuntur, & inſtitutis monaſticis non dicam, nec de pluribus quae mihi Archimandrita ſive Abbas ex illo monte Athanaſius per Saxoniam noſtram tranſiens Luneburgi a.* 1674. *retulit, & auctor anonymus in libello peculiari a.* 1689. *edito recenſet. De Bibliothecis autem quae inter coenobia hodieque graeca lateant, item de codicibus MS. nihil aut parum invenies, nihil Athanaſius ille mihi referebat. Nam Graecia libris vacuefacta praeter Euchologium aut Menologium MS. & homilias Patrum aliquot, vix promet alios, niſi quos ex Venetorum Urbibus exportat coemitque.*

Inter haec Caracciolorum monaſterium extare a ſuo uſque tempore Cyrillus affirmat excitatum a Beſta Caracciolo, quem etiam Antiochiae Principem ſignat. Quis au-

autem is Beſta fuerit, cui primo Caracciolo; vel Carakolo, aut Calacolo (tot enim modis legitur) nomen tributum eſt, ſi poſt tam immane temporis ſpatium conjectandi facultas non denegetur, eum non alium quam Bautonem comitem Arcadii Imp. ſocerum fuiſſe contenderem. Exploratum eſt enim extincto Theodoſio, ſummaque poteſtate ad duos ejus filios Arcadium & Honorium aetate juxta ac nulla rerum prudentia per quam hebetes, & prope ſtupidos delata, Rufinum uſurpandi imperii ſpem aluiſſe, eoque conſilio in illud praecipue omnem conatum intendiſſe, ut natam ſuam Arcadio nuptui traderet. Ut id anteverteret Rufini in aula ἐναντίος Eutropius Eudoxiam Bautonis Comitis filiam Imperatori obtulit, cum qua nuptiae contractae ſunt. Acceptam injuriam ulturus Rufinus Gothos Alarico duce ad Imperii cladem advocavit, quos ignis inſtar quocumque libere pervadentes una Antiochia remorata eſt, utpote quam ab ingruentium barbarorum ira, incolarum, & Bautonis eximia virtus defendit. Tantae fidei conſtantiaeque ἀντίδωρον ipſius Antiochiae principatum ab Imperatore is obtinuit, & ob acceptum in diuturna obſidione grave patenſque vulnus Καλακολου adgnomen adeptus eſt, quod idem valet ac *pulcre mutilatus*. Non vulgaria hujus Bautonis domi foriſque geſta peculiari laudatione kal. Januariis habita perſecutus eſt Auguſtinus Rhetorem tunc temporis Mediolani agens, quae tamen ad nos non pervenit. Eum etiam Ambroſio comitem dat Muratorius in Annalibus Italiae a.384. in glorioſiſſima ea, quam ille quacumque laude digniſſimus Archiepiſcopus in Gallias ſuſcepit legatione pro pace inter Maximum tyrannum, & Valentianum Imperatorem ſancienda, & ſequenti anno cum ipſo Arcadio Auguſto Conſulem. Hunc ipſum eſſe monaſterii a Cyrillo deſignati exſtructorem plura ſuadent, & praecipue illud, ejus pietatem omnium hiſtoricorum conſenſu maximam decuiſſe, relatae e barbaris victoriae veluti votivum quod-

dam εὐχαριστικὸν ſimul, & μνημεῖον excitare.

Quod ſi quis in tenebricoſis truncisque medii temporis memoriis hujus Caracciolorum in Antiochia principatus progreſſum requirat, ejus curioſitati nos facere ſatis vetat tum aevi longiqua vetuſtas, tum epiſtolae modus. Ejus certe finis non alio referendus quam illato a Saracenis toti ferme Orienti ſub initia ſeptimi ſaeculi excidio, quo omnes prope tot regnantium in eo deſpotarum dynaſtiae ſublatae oppreſſaeque ſunt. Ipſo tamen octavo ſaeculo ineunte occurrit Anaſtaſius Caracciolus Imperatricis Irenes claſſi praefectus, & ad ſedandam Siculam ſeditionem cum ſummo imperio miſſus. Et forte eidem tempori conſignanda eſt Caracciolorum poſt amiſſum principatum e Graecia in Neapolitanum Regnum tranſmigratio, quo vel maxime conficitur id quod Ammiratus jam ducentos propemodum ante annos ſcribens ex quaſi obſignatis tabulis extra omnem dubitationem firmaverat, a ſexcentis retro annis eorum nomina ſatis quam honorifica apud nos occurrere. Sed haec ſunt rudia majoris operis lineamenta, atque ingentis aedificii veluti πρόσωπον τηλαυγές. Nam integrae de Caracciolorum familia hiſtoriae, quam Principis Abellinatum cura prodituram ſcio, erit haec quae ſummatim attigimus ſtrictim enucleare, atque in eo quod merentur lumine collocare.

Ut igitur eo unde digreſſi ſumus revertamur, ſive noſtri, ſive peregrini ſoli haec ſit familia adeo prae ceteris vel ante exactam ſalutarium ſaeculorum decadem ſe immortalitati commendavit, ut majorem invidiam an admirationem in aliis excitura ſit diſpici facile non poſſit. Quod ſi de ſubſecutis temporibus quaeramus, inſtar omnium monumentorum ſit Frederici II. Imp. & Neapolitani Regis ſingulare teſtimonium, quod quum Conſtitutionum noſtrarum corpori inſeri meruiſſet, tantae gloriae tantam auctoritatem ſuffragari livor deinde non ſivit. Illud tamen in conſtitutionibus editis ſub Ferdinando I. Arago-

nio

nio a. 1475. extitiſſe Ammiratus αὐτόπτης teſtis fidem facit. Sic habet *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus Rex Hieruſalem, & Siciliae. Auguſtalis excellentiae tunc extollitur ſolium, quum ſui nominis titulos ampliat, quum dignis meritorum praemiis ſubjectorum compenſat obſequia, illorum praecipue quos ſincera fides & pura devotio reddit expertos. Inde eſt, quod nos attendentes fidem puram & grata ſervitia praeſenti digna relatu & futura memoria, quae quondam Joannes Caracciolus Ruſſus de Neapoli pater Ligorii Caraccioli fidelis noſtri majeſtati noſtrae ſemper exibuit, & ſpecialiter quod dum pro ſervitiis noſtris & Imperii deputatus ad cuſtodiam caſtri Iſclae a noſtris rebellibus impugnatus maluit in una turrium munitionis ipſius, quum ſe amplius non poſſet defendere, igne cremari, quam ſe ſponte inimicorum tradere poteſtati; conſiderantes etiam quod Ligorius praefatus paternae fidei conſtantiam imitando grata nobis obſequia exhibere poterit in futurum, de benignitatis noſtrae gratia qua conſuevimus bene meritis providere ad aliorum quoque fidelium noſtrorum dignam imitationem exempli damus & concedimus nominato Ligorio fideli noſtro & ejus heredibus in perpetuum feudum quod fuit Gerardi de Ripa, quod tenuit Robertus de Conca in Caleno & pertinentiis ejus, & nunc ipſum Curia noſtra tenet &c.*

Singularis fides & conſtantia ab Ottino Caracciolo Andegavenſibus Regibus (ſub quorum clientela Caraccioli ſemper fuere) vel cum maximo rerum ſuarum diſpendio praeſtita utramque facit apud rerum noſtrarum Scriptores paginam. Marini Caraccioli primi Abellinatum Principis magnanimitas liberalitaſque plurimis ſpectatae negotiis tunc ſe maxime exſeruerunt, quum inito a Pio V. Summo Pontifice, Rege Catholico, & Venetis adverſus Turcas commendatiſſimo foedere, ipſe inſtructiſſima triremi, quam ſuo aere fabricaverat florem Neapolitanae juventutis in illud bellum adduxit, totque

magnificentiae ac fortitudinis ſpecimina edidit; ut ipſum Joannem Auſtrium ejus expeditionis Imperatorem, & Cardinalem Granvellanum tunc Neapoli proregem eximios laudatores habere meruerit. Et ne domeſticis nos tantummodo teſtimoniis agere quis credat, quae Camillus Caracciolus Marini filius, & ſecundus Abellinatum Princeps in Belgio geſſit ſub Alexandro Farneſio, Comite Mansfeldio ceteriſque Belgii Gubernatoribus non exiguum ſibi locum vindicarunt in annalibus Jac. Aug. Thuani hiſtorici cordatiſſimi omnibuſque iis laudibus, quibus paſſim eum Grotius exornat, digniſſimi. Tantae militaris virtutis fructus is retulit praeclaros, nam & bellicis omne genus honoribus auctus, & magnus Neapolitani Regni Cancellarius, & eques aurei velleris, & Comes Conſiſtorianus deceſſit. In tot rebus gerundis comites habuit Domitium fratrem, qui in acie hoſtem pugnaciſſime premens occubuit, & Marinum filium tertium Abellinatum Principem, ad quem non minus animi quam decora patris hereditate redierunt. Eamdem viam preſſere duo alii Marini quos & S. R. I. Principes & a Carolo VI. Imp. rebus italicis cum ſumma poteſtate praepoſitos omnes ſciunt.

Verum ne eorum qui aut ex occaſione, aut ex inſtituto de Caracciolis integra volumina ſcripſerunt ſcrinia compilaſſe dicamur, & vela ſimul contrahamus, illud ſatis eſſe cuicumque poterit, nullam prorſus eſſe, quam aut militaris virtus, aut civilis prudentia dignitatem promereri poſſit, quae huic familiae plus vice ſimplici delata non ſit, quod & hiſtorici conſtanter fatentur, & quicumque ſucco nigrae loliginis careat negare non auſit.

Ex ejus itaque generis majoribus ortum ducens Princeps Abellinatum id ſibi negotii credidit dari ut quam gloriam armis ſibi quaerere in privata, quam vivit, vita prohibetur, ex litteris & ditiſſimo ſapientiae penu hauriret, ſeque non paucis patrum ſuorum muſarum alu-

numinis non imparem praeſtaret. Eccui enim ignota eſſe poſſunt Triſtani Caraccioli aurum contra non cara ſcripta quae tanti fecit Muratorius, ut eis locum in abſolutiſſima Scriptorum rerum Italicarum collectione locum dederit? Aeque celebria ſunt opera Landulphi, Bernardi, Tirelli, aliorumque Caracciolorum, quos pietas magis an doctrina commendarit vix dijudices. Quorum tamen omnium gloriam obruit, ac pene merſit Marinus Caracciolus vir omni praeconio major, & maximum ſuae aetatis decus, cujus miram in difficillimis tractandis rebus ſolertiam expertus Hadrianus Pontifex ejus nominis ſextus honorificentiſſimo diplomate XIII. Kal. Aprileis A. 1522. dato legavit ad Carolum V. Imp. ut interpres inter eum & Franciſcum I. Galliarum Regem crudelis cruentique belli in Europae perniciem ceſſuri diſſidia componeret, & diuturnae pacis fundamenta jaceret. Eumdem utpote Catholicae Religionis, qua ſcriptis libellis, qua perpetuis laboribus firmiſſimum fulcrum poſt navatam Romanae Eccleſiae in Belgio, ac in Germania adverſus pervicaciſſimos ſaeculi ſextidecimi novatores incomparabilem fidem operamque Paullus III. Farneſius Pontificum vere maximus Cardinalium Collegio adſcripſit.

Horum omnium imagines non ad inanem faſtum, ſed veluti tot ad virtutem ſtimulos contemplatus Princeps, ſe, ut ille ait, tunc magis negotioſum eſſe probavit, quum ocio abundare videtur. Hinc nocturnis impalleſcere chartis amat, quodque temporis in litteris impendere poteſt ipſe ſibi lucro apponit. Perpetuae ejus lectionis fructus fuit joculare in ſpeciem re tamen vera conſumatiſſimae ſapientiae refertum, & ipſo florentis linguae genio conſcriptum opuſculum, cui titulus *Intertenimenti Eſtivi*. Eo, verum ſi quaerimus, χαρακτηριστικὸν illud tractandae morum diſciplinae genus, quod in Theophraſti Characteribus Caſaubonus agnoſcit, feliciter expreſſum fateri oportet. Sed alia ſunt majoris

abol-

abollae, & de civili praeſertim prudentia opera, quae more ſuo nonum premit in annum non niſi poſt ſecundas imo tertias curas lucem viſura. Non hic animus eſt in ejus ire laudes, quae in annales iturae ſunt, quum meum non ſit depraedicare, quod ejus non eſt audire. Sic enim receptum eſt, ut qui quam maxime laudandus eſt, omnium maxime a laudum ſuarum recitatione abhorreat. Unum abſque piaculo non praeterierim, vix dici poſſe quam ei theologica ſtudia debitura ſint, quibus tantam dignitatem comparatum ivit. Quum enim ampliſſimum magni perpetuique Cancellarii munus ſuſtineat, quod ejus domus gentilitium eſt, cujuſque vices mihi perhumaniter demandavit, in eam pulcherrimam ſane delapſus eſt cupiditatem, ut Collegium Theologicum, quod ſub ejus auſpiciis doctiſſimos quoſque noſtri Regni Theologos continet, utiliſſimis ſtatutis reſtauratum ab optimo Rege noſtro corporatae cujuſdam ſocietatis dignitate inſigniretur, ut quemadmodum Sorbonico Galli, Salmaticenſi Hiſpani merito ſe jactant, ita & Neapolitani ſuo fruerentur Theoſophorum collegio. Inſitae viro nobiliſſimo in ſacras litteras benevolentiae faces addidit Regis prope coelo delapſi prolixa in quodcumque genus ſtudiorum munificentia, cui verius, quam ut ille olim Trajano, accini poteſt

Et ſpes & ratio ſtudiorum in Caeſare tantum,
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camoenas
Reſpexit.

Hinc precibus ſibi pro eo beneficio porrectis ingenita benignitate annuit, eaſque auguſtiſſimo reſcripto ratas eſſe juſſit. Tantae largitionis memoriam apud nos tantummodo manere, & ingrati, & ſubruſtici animi vitium futurum fuiſſet, eo vel magis, quod novi hujus decoris quo noſtrum augetur Collegium, & is vir auctor, & tantus Rex largitor fuerit. Praeterquamquod ea quae

litte-